

Statu regia, ex quo humilia respicit, de stercore pauperem erigit & cum principibus collocat, Psalm' 112. v. 7. & 8.

Locus quintus.

§. 21. *Porro non est ut per transfennam inspiciamus hanc DEI querelam de insipientibus, declinantibus & inutilibus factis: Nam hac ipsa, novissimo hoc & coclamato tempore de caelo quasi auditur atque utinam audiatur ab omnibus, ut introire, contenderent per portam angustam, Matth. 7. v. 13. Non abundaret iniquitas, non refrigeret charitas. Mat. 24. v. 12. stultorumque numerus non esset innumerus Eccles. 1. v. 14.*

De civitate Antiochia sic declamat Chrysostomus homil. 40. ad populum Antiochen. Quot esse putatis in civitate nostra qui salvifiant? Infestum quidem est quod dicturus sum, dicam tamen: Non possunt in tot millibus centum inveniri, qui salventur, quin & de his dubito. Quanta enim in juvenibus quaso malitia? Quantus in senibus torpor? Filij curam gerit nemo; nemo Zelum habet, ut senem respiciens imitetur, exemplaria deleta sunt, propterea neque juvenes laudabiles evadant. Ita de suo seculo Bernhardus: Non est nisi amor turpis in hoc seculo, nec fides secera quia omnia quae eius sunt contaminantur superbia, avaritia, cupiditate & luxuria. Recessit enim lex à Sacerdotibus, justitia à principibus, consilium à senibus, religio à clericis, amor à parentibus, fides à populo, reverentia à subditis, amor castitatis à virginibus, pudicitia à conjugatis, & quid est quod non venit Antichristus? jam enim à multis ignoratur Christus, & à potentibus quasi peregrinus habetur. Sic & Augustinus arbitratur tres mundi partes fore damnandas, eò quod in omnes regnet infidelitas: de quarta autem inquit, quid dicam? nisi quod Iohannis 5. scribitur, totus mundus in maligno positus: Hac isti de suo, at quid nos de nostro tempore dicemus? Hodie Pontificij, crepant suam multitudinem, nos paucitatem: Aiunt ante seculi consumari-